

Natus amor, cognata Deorum æterna propago
 Inde fuit, mundi tum rerum digessit, & Vrbes
 Constituit rudibus Populis vis illa iugalis,
 Nam quid habet cælum quid Terra, quid aquoris ora
 Pulchrius aspectu: quid mente decentius alma
 Ipso homine: et tamen illa creant humana uicissim
 Corpora, ut æternam seruent connubia legem,
 Non aliter Quercus quam cum longæua suorum
 Pondere ramorum iamiam ructura, superbum
 Demittit caput, et latè impellentibus Euris
 Corruit ad Terram; tum uis, fecunda uigorem
 Excitat occultum, atq; ima ab radice uirentes
 Germinat in fœtus, ij matris ab ubere sensim
 In sese eliciunt recidiuæ munera uitæ
 Cum tamen in mundi celebrentur corpore uasto
 Omnibus à rebus, eundèisq; animantibus vltro
 Coniugia arboribus sint et communia lætis
 Contigit unde alta felix vindemia ab vltimo
 Agricolis frustra Palmam spectabit inertem
 Cultor satureus, nisi fertilis illa mariti

Assistat lateri, unde uigor deriuat acutus
 Naturæ, in Venerem nulla ratione feruntur
 Cætera sæcla, homini mentis vis contigit vni;
 Illa obscæna palam sua pignora conseruere,
 Nascitur unde triplex horrenti mole Chimæra
 Minotaurus atrox & semiuiri Centauri
 Gerionesq; truces Harpyiarumq; propago
 Atq; Homini Deus ipse dedit discrimina mille
 Rerum occultarum, et secreuit iura pudoris
 Ne res tanta aditu facili uilesceret, ergo
 Conueniunt, miscentq; animam cum corpore coniux,
 Atq; vir addicti genitalibus in speluncis,
 Extremisq; aditis nemorum, sic sancta pudoris
 Obseruant leges connubia, nascimur inde
 Nos itidem à nobis, ueluti de lumine lumen
 Sunt cæ Naturæ miracula mystica quæ fons
 Diuinæ mentis felices irrigat hortos
 Humani Generis nam quæ carissima Patri
 Omnia Naturæ sunt, illa uberrima passim
 In successuros soluunt sua viscera fœtus.